



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

61. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De eadem re. *Gregorius Sergio Defensori nostro.*

Lib. 7. Indi<sup>o</sup>.  
1. epist. 10.

LXI. Si homo esses, aut distractionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinae debuisti custos existere ut ea quæ illic illicitè committuntur antè vindicta corrigeres quàm ad nos eorum nuntius perveniret. Sed dum nimia stultitia te facit negligentem, non solùm delictis offendimur, sed etiam ad ulciscendam delictam tuam nihilominus provocamur. Omni ergo dilatione omnique excusatione postposita filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, quæ projectis quas sponte assumpsit religiosis vestibus, indumentis se laicis deturpavit, unà cum fratre & coëpiscopo nostro Vitaliano festina comprehendere atque ad religiosum rursus habitum revocare, ac in monasterio mittere, ubi districtè omnino valeat custodiri, nec ejus custodiam aliquatenus relevari permittas quousque nostra denuo scripta susceperis. Nam si quolibet modo in hac negligentem vel lentum extiteris, ita in te districtissimè noveris vindicandum ut quod ex te nescis, pœna possis referante cognoscere: quia, sicut diximus, si intellectum hominis habuisses, hæc quæ facere modò præciperis, antè debueras etiam cum ultione à te facta cognoscere.

De feminis quæ religionis vestem in domibus propriis mutaverint, si postea conjugium elegerint, quid agendum sit. *Toletanum Concilium IV. cap. LVII.*

Lib. 7. Capitular. c. 257.

LXII. De viduis & puellis quæ habitum